





21
יְתָרוֹן בְּכֹל

i. c.

DE

SVMMO BONO
EX SENTENTIA SALOMONIS

Cohel. V. 8.

PERICVLVM EXEGETICVM

QVO AD
ACTVM POETICVM
CERTO BENEFICIO
GYMNASII FREIBERGENSIS

SACRVM

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.

FREIBERGAE,

Litteris CHRISTOPH. MATTHAEL.

XXI.

Impeditissima de Summo Bono controuersia in scholis veterum philosophorum tanta animorum contentione olim agitata fuit, ut cardo omnis sapientiae in hac quaestione verti videretur. Et VARRO quidem, si AVGVSTINVM audiamus, a) fere trecentas sententias diuersorum auctorum collegit, qui ad explicandum hoc doctrinae moralis momentum industriam atque ingenium attulerunt, quod alii in virtute, alii in voluptate, alii in indolentia, alii in veritate, alii in sapientia, alii in recte factorum conscientia, alii in animi tranquillitate ponebant.

Ita vero illius naturam atque indolem comparatam esse, intelligimus, ut multi, opinionis errore abrepti, falsum comminiscantur, pauci verum perspiciant, paucissimi consequantur. Nam quis, quae so, voluptatum illecebras ad comparandam animi quietem idoneas arbitretur? quis ex ambitione atque immoderata honorum contentione praesidia aduersus insidiantis fortunae insultus sibi polliceatur? quis ex adfectata scientiae gloria suae conditionis fastidium metiatur? idem tamen sentiens, quod plura nesciantur, quam sciuntur.

Quae quum ita sint, aliquid longe praestantius est circumspiciendum, ad quod, veram et stabilem felicitatem consequenturi, suas curas et cogitationes transferre debent, et quod suam per naturam valet ad bene beateque viuendum. Hoc autem neminem praestare, praeter DEVM immortalem, certum omnino est atque exploratum. Quemadmodum enim hic solus est bonus, auctorque omni boni: ita etiam ab hoc solo expectandum est et expetendum, quicquid boni vel animo concipi vel verbis exprimi potest, quippe nullius rei indigente, atque omnibus numeris absoluto. Et huius quidem boni tanta vis est et facultas tam admirabilis, ut splendore ac magnificentia omnes ad se rapiat, qui in eo, contemplatione defixi, perfectissima quaeque et pulcherrima deprehendunt.

Id quod ipsi homines profani, ceteris acutius rerum causas perspicientes, quod ex historia philosophica didicimus, non dissimulauerunt. Inter Aegyptios enim HERMES TRISMEGISTVS impietatis et grauissimi erroris eos insimulabat, qui quicquam aliud, praeter Deum, boni nomine compellarent. b) Paria PYTHAGORAM, PLATONEM, horumque adsecras sensisse, SCHEFFERVVS c) et HVETIVS d) bona fide testantur.

Eo autem potiori iure hanc sententiam illi profitentur, qui caelesti lumine colustrati, ad normam verbi diuinitus patefacti suam fidem componunt, quo frequentius Summum illud Bonum in sacris litteris et commemoratur et commendatur. Quum enim eas eo consilio nobis traditas esse, sciamus, ut his veluti adminiculis suffulta felicitas nostra et confirmetur et prouehatur, fieri non potuit, quin omnibus fere in paginis Summum illud Bonum proponeretur, summo studio expetendum. Praetermissis aliis, nunc testimonium a Salomone in medium prolatum, eiusque sapientia dignissimum, audiamus, his verbis conceptum:

ויהיו ארץ בכל חזק חזק לשרה נעבר

a) de ciu. Dei, L. IX. c. II.

b) *Wisfus* in Aegyptiac. L. I. c. II.

c) de Nat. et constit. philof. Ital. c. 7.

d) in Quaest. Alnet. L. II. c. II. §. 5. 18

In quo oraculo explicando quam multas tricas et salebras interpretes obuias habuerunt, tam planum et expeditum nobis illud videretur, si Summi Boni naturam in eo exponi, statuamus. Quam sententiam idoneis argumentis confirmari, tunc adparebit, si primo singulas voces excusserimus, deinde, contextus rationem eideam respondere, ostenderitimus.

Agmen ducit dictio

יִתְרוֹן, quae procul dubio ad radicem יִתְרִי originem refert, atque ex ea *singularis emolumentis* atque *excellendae* significationem ducit. Ita enim comparata esse illa nomina, quae 1) heemanticum fini adfixum habent, ut intensiorem, augmentum, frequentiam, magnitudinem, exaggerationem, et copiam connotent, viri in hoc genere litterarum versatissimi, HILLERVS e) et LOESCHERVS f) exemplis confirmarunt, quorum largam segetem Celeb. SIMONIS studio collectam g) reperiunt, qui his deliciis pascuntur. Hoc igitur in libro à Salomone frequenter adhibita vox יִתְרוֹן *Summum Bonum* indicat, quod in rebus humanis se reperisse, auctor diuinitus adflatus, negat. Id quod ex iis locis aperte intelligitur, in quibus idem vocabulum occurrit. Ita enim Salomon, ubi cap. I. v. 2. omnia in hac rerum uniuersitate animo perlustrata uana, fluxa, et inania deprehendit, v. 3. interrogat: מה יִתְרוֹן לְאָדָם, i. e. *quodnam igitur est summum bonum, homini destinatum?* Idem, cap. II, II, ostensurus, perperam in hoc mundo veram felicitatem quaeri, ait: אֵין יִתְרוֹן חַחַם הַשֶּׁמֶשׁ *non est summum bonum sub hoc sole.* Eodem valet quaestio cap III, 9. proposita: מה יִתְרוֹן הַעֲשֵׂה, i. e. *quodnam est summum bonum hominis (talit) facientis?* quam repetitam legimus c. V, 15. מה יִתְרוֹן לוֹ. Capite autem VII, 13. commemoratur דַּעַם יִתְרוֹן, i. e. *summum bonum, in cognitione (Dei et sapientia caelesti) postum*, cui simile pretium alibi etiam, e. g. Ies. LIII, II. Ioh. XVII, 3, etc. statuitur. Et hoc sensu etiam verba cap. X, 10. יִתְרוֹן הַכֶּשֶׁד הַזֶּה sunt explicanda.

Tali modo omnis fere bonae notae interpretes vocabulum יִתְרוֹן exponunt. GEIERVS (at quantum nomen!) *aliquid vere constans et perenne* eo indicari, profitetur. h) Summe Ven. BAVERVS vero eam dictionem transfert: *Das Beste*: i) quamuis in eo a reliquis exegetis discedat, quod hoc in Salomonis libro potius *summum hominis officium*, quam summum bonum eo nomine commendari, adfirinet. k) Neque alia sentit S. R. HANSENIVS, qui de hac voce ita disputat: l) *id agit Salomon in hoc libro, ut internam humanae vitae bonitatem summo studio examinatum nobis ob oculos ponat: quam praestantiam, qua reuera alias res conditas longe superat, יִתְרוֹן adpellat, eamque perpetuo rerum reliquarum vanitati, רַבְּבָל, opponit. His praestructis, uniuersum huius vitae pretium a futura hominis conditione petendum et expectandum esse, docet: huic enim per suam naturam non inesse*

e) Hierophyt. P. I. p. 352.

f) de Causs. L. H. p. 406.

g) in Arcan. Form.

p. 545. fqq.

h) Commentar. in Cohel. p. 13.

i) Commentar. ad II, 1.

k) l. c. p. 26.

l) in Commentar. I, c.

ineffe יתרון, i. e. *summum bonum*; inesse tamen טוב, seu *bonum aliquod relatiuum, et felicitatem comparatam*. *Quis enim non videt, haec duo longe diuersissima esse, vitam agere paupertate, morbis, curis, aliisque aduersitatibus obiectam? et vita frui, opum adfuentia, valetudine, et rebus secundis ornata? Hanc igitur felicitatem, quae merito BONI nomine cohonestatur, hac in vita consequi et conseruare committamur; consequuti vero, his bonis ita utamur, ut ne illud יתרון s. *summum bonum vel negligatur vel amittatur*. Ex multis aliis, qui eadem significatione hoc vocabulum explicant, unum iam addo S. R. WILISCHIVM, virum de litteris sanctioribus tam praeclare merentem, ut omnes viri boni labores illius hoc voto prosequantur: יהי נעם יהיה אלהיו ומעשה ידיו יכונן עליו ידיו כוננתי: Is vero de uocabulo יתרון disputans, m) his utitur verbis: das übrige, vortreffliche, und herrlichste; et alibi: n) dieses Wort bedeutet allen Vortheil und das Allerbeste.*

Cum hac voce et per nexum grammaticum, et intercedente accentus vinculo, proxime copulatur dictio

אֶרֶץ i. e. *terra*, a *deprimendo* nomen sortita, quae proprie illam locum notat, qui cum caelo comparatus, depressior adparet, hominibus ac ceteris animantibus pro habitaculo destinatus. Per metonymiam vero hoc nomine ipsos homines adpellari, exemplis plurimis probari potest, quorum nos iam non nisi aliquot ex primo Scripturae S, libro adferemus. Ita enim Gen IX, 19. ex filiis Noachi commemoratur dispersa labium unum; כל הארץ *omnis multitudo incolarum terrae*; Gen. XI, 1. et erat *omni terrae* labium unum; Gen. XVIII, 25. Deus est iudex uniuersae terrae; Gen. XIX, 31. pro consuetudine *omnis terrae*; Gen. XLI, 30. confunserat fames uniuersam terram, etc. Nihil igitur, quod insolens aut inauditum uideatur, tenet, hoc loco ארץ יתרון in *summum bonum generis humani* conuertentes, Huius autem boni quo luculentius dignitas exsplendescat, additur uocula

בכל i. e. *in omnibus*. Filii enim grammaticorum haud ignorant, hanc esse familiarem rationem gradus superlatiui ab Hebraeis exprimendi. Hoc sensu Ios. XIV, 15, vir quidam commemoratur, גדול בענקים *maximus* Anakaeorum; à Salomone commemorantur גדלים באדם *perfidissimi* hominum, Prou. XXIII, 28. Idem leonem describit גדול בגרם *fortissimum* bestiarum, Prou. XXX, 30. à propheta familia Edomi cognominatur, קטן כגרים רבוי באדם, *minima* gentium et *contemptissima* hominum; et vera ecclesia depingitur, veluti יפה בנשים *pulcherrima* inter mulieres, Cant. I, 8. cui loquendi rationi fere constructio Graeca respondet: εὐλογημένη EN γυναιξίν, Luc. I, 28. His et aliis eiusdem generis exemplis addere ex nostro oraculo licebit בכל יתרון ארץ *emolumentum hominum uniuersale, maximum, et omnibus numeris absolutum*, vel breuius, SVMVM BONVM. Restat ex priori huius versiculi hemistichio Subiectum in medium adferendum, quod uocabulo

הוא

m) in Bibl. Parallel. in Cohel. p. 232.

n) l. c. p. 223. 247.

הָיָה indicatur. Constat autem, eam huius pronomini esse indolem, ut vide-
 monstrandi praeditum, ad nomen, quod proxime antecessit, oporteat referri. Si
 igitur ad verbum praecedentem 7. recurrimus, DEVM immortalem nomine
 שמר גבה מעל גבה i. e. *custodis altissimi* repraesentari, videmus, quem הָיָה nobis
 sinit pia animi religione considerandum. Quamvis enim hoc הָיָה cum Rabbi-
 nis inter nomina DEI propria referre, non audeamus; synecdochice tamen de
 Deo usurpari, exempla passim obuia testantur. Multorum ad instar haec tria sunt;
 הָיָה דָעו כי יהוה הוא אלהיה הוא *Pfalm.* C, 3. הָיָה הָיָה הָיָה *Pf.* CII, 28. הָיָה *Ies.* XLII, 25.
 De quo pronomine prolixis verbis HOTTINGERVS o) exponit. Imo sunt, qui
 speciatim inter nomina Messiae singularia huic pronomini locum vindicare non
 dubitant, locis *Pf.* XIX, 6. *Ies.* LXIII, 9. *Ier.* XXX, 21. adducti, inter quos CRA-
 MERVS, p) ALBERTI, q) VRIEMOET r) D' OVTREIN s) et SCHLICH-
 TERVS t) nomina sua profitentur. Neque iniuriam nostri loci verbis videbi-
 mur facere, si utrumque sensum hoc modo coniungimus; *DEVS optimus, et*
speciatim CHRISTVS suis cum beneficiis pro Summo Bono ab hominibus merito
colui debebat. Hac mente et Seb. SCHMIDIVS t) et IO. HENR. MICHAELIS, u)
 summi nominis exegetae, hoc oraculum ita explicant, ut DEVM nobis in eo pro-
 poni adfirmant, summa animi contentione amplectendum. En huius verba; *Si*
vel omnia tibi eriperentur, DEVS tamen eripi tibi non potest, qui solus est verum
bonum.

Itaque priori huius versiculi parte examinata, alteram eiusdem propositio-
 nem adgredimur enucleandam: quae sicuti Subiecto et Praedicato continetur, ita
 utrumque strictum persequamur. Et Subiectum quidem exprimitur vocibus

מֶלֶךְ לְשָׂרָה. Quibus alii regem, ciuibus suis imperantem, alii agricolam intelli-
 gunt, agro colendo inferuentem. Vtrumque suo honore priuandum non esse,
 arbitramur. Quia vero contextus h. l. neutrum admittit, nisi sensu verborum con-
 torto, de alia explicatione cogitauimus, quae neque verborum naturae repugna-
 ret, neque in veritatem diuinam iniuria videretur. Constat nempe, genium in-
 fernalem, quem Satanam et diabolum sanctiores litterae adpellant, nullo non
 tempore imperium in genus humanum adfessasse, adeo, ut in codice sacro *ὁ Θεός*
τῶν αἰώνων τῶν αἰώνων 2 *Cor.* IV, 4. *ὁ ἀρχὸν τῶν κοσμοῦ,* *Ioh.* XII, 31. XIII, 11. XIV, 30.
 XVI, 11. *ὁ ἀρχὸν τῆς ἐξουσίας τῶν αἰώνων,* *Eph.* II, 2. et *κοσμοκράτωρ τῶν σκοτεινῶν*
Eph. VI, 12. cognominetur. Quamvis enim ille terrae non imperet, iis tamen
 dominatur, qui seipso illi tradunt, ut CHRYSOSTOMVS loquitur. w) Eodem
 sensu CYRILLVS ALEXANDR, verba ex Iohanne adlata exponit, docens, x)
ἀρχόντων

o) de Nominib. diuin. p. 284.

p) in Nott. ad Tract. Talm. Succa. p. 337.

q) Pericul. Critic p. 2.

r) de Schilo. p. 141.

s) Biblioth. Brem. T. I. Falc.

I p. 18

ff) Decim. Saer p. 82.

t) Annott. ad h. l.

u) Obseruat.

ad Hagiogr. h. l.

w) Homil. LXXIV. in Ioh.

x) Caten. in Ioh. XVI.

p. 393.

ἀρχονται vocari Satanam, ἐχ' ὡς ὄντα κατ' ἀληθειαν, ἀλλ' ὡς ἐξ ἀπατης καὶ πλεονεξίας τὴν ἐπι τῶν δοξῶν κερδαίνοντα διὰ τὴν μοχθηροτάτην ταύτην προμεσίαν τῶν αὐτῶν δεχομένων, non, quod reuera sit princeps, sed quod per fraudes ac rapinas hanc gloriam acquisierit per turpem eorum vitam, qui ipsum receperunt. Paria fere sentit THEOPHYLACTVS, ἀρχονται, inquit, γ) τῶν νοετῶν τοῦ κόσμου μὴ τῆς κτίσεως ἀλλὰ τῶν χυδαίων λαῶν, καὶ τὰ τοῦ κόσμου φρονεῖντες, i. e. principem mundi intellige, non creaturae, sed mundi confusi et mundana sapientis. Ab his igitur nominibus, Satanae tributis, מלך שדמל haud dissonare videtur. Non quidem dubitamus, fore, qui interueniens ὡς tanquam à forma regiminis alienum, adeoque cum hac explicatione vix conciliandum, obiciant. At in solentem hanc construendi rationem non esse, exempla Ios. VIII, II. Pf. CXVI, 15. Ier. XLVII, 3. Ion. IV, 5. etc. perspicue docent, et WASMVTHIVS, z) et DANZIVS, a) et nosler STARCKIVS b) in singularibus obseruationibus inculcant. Superest Praedicatum huic Subiecto adcommodatum, scilicet

נעבר, cuius propria significatio et seruendi et honorandi notione continetur. Posteriorem sensum, locis Exod. X, 26. 2. Reg. XVIII, 7. Ios. XIX, 23. etc. confirmatum, ad hoc adferre oraculum, nexus vtriusque propositionis suadet. Quo enim luculentius Salomon perspexerat, DEVM solum esse Summum illud Bonum, in quo expetendo et consequendo omnem curam et cogitationem mortales desigere debent; eo magis mirabatur et dolebat, homines adeo esse negligentes ac refractarios, vt, posthabita hac felicitate, DEVM mundi anteferant, suamque vitam ad istius obsequium tanto studio componant. Et quidem vir diuinitus excitatus dictione נעבר vsus, praeceptum illud in animo habuisse videtur, quo DEVS olim deastris et idolis obsequium et cultum praestari, prohibuerat, inquit: לא תעבדו, ne seruias illis, Exod. XX, 5. Secus autem identidem fieri, videns, humani ingenii prauitatem indignatus, h. l. ait: מלך שדמל, i. e. princeps mundi colitur. Ex his igitur iam disputatis, facilis et planus oraculi nostri hic gignitur sensus:

Quamuis autem ille (Deus deorum summus v. 7) summum in hoc mundo bonum praestet, (et propterea summo etiam honore sit dignissimus,) diabolus tamen, qui perpetuum terrae imperium adfectat, (maiori subinde studio) colitur etque obseruatur.

Quid alii de hoc loco sentiant, et cum in commentariis tum singularibus disputationibus attulerint, sciens praetermitto. Neque hoc mihi sumo, vt aliorum virorum doctrinae laude conspicuorum explicationi aduersando contradicam. Quemadmodum autem quemlibet suo sensu abundare, facile patior: ita satis praesidii huic, quam protuli, versioni, inesse arbitror, si demonstrauero, eam neque a contextu, neque a forma sanorum verborum abhorreere.

Namque

y) in Ioh. p. 776.

b) Luc. Ebr. p. 337.

z) Hebraisim. restit. p. 72.

a) Interpr. Ebr. p. 19.

Namque Salomon in hoc libro, quem קהלה inscripsit, sollicito scrutinio Summum hominis Bonum peruestigat, idque non in curiosa ac vana scientia, non in voluptatibus et luxu, non in honoribus ac famae dignitate, positum esse, cognoscit, ut nempe homo fide DEO conciliatus, eiusque paterna gratia confusus, ipso vnice nitatur, atque in illius prouidentia, vtraque in fortuna, laetus adquiescat. Deinde modum ac rationem huius boni consequendi ostendit, pia erga summum illud Numen reuerentia, firma in DEVM fiducia, moderato rerum humunarum vsu, et curarum fuga, illuc contendendum, docens. *Haec summa est*, uti Summe Ven. CARPZOVIVS pronuntiat, c) *difforum, hoc argumentum totius scripti, et in duplici hoc cardine, Summi nempe Boni et designatione et affectuone vniversi hic voluitur liber.* Quid? quod ipse Salomon sub finem huius libri digitum eo intendisse, videatur, lectorem hoc epiphonemate compellans: d) קרף רבר הכל i e. *audiamus summam totius huius libri: Deum cole.* Si-gillatim autem caput V. eo valet, ut ad cultum DEO praestandum certis regulis homines adducantur, argumentis ad persuadendum idoneis adlatis. Horum in numero locum haud postremum hoc meretur, quod v. 1. legitur: *DEVS est altissimus.* Cui tantum probandi et commouendi vim inesse, Salomo iudicat, ut v. 7. his verbis illud repetat: *Deus altior est omnibus huius mundi principibus, quantumuis excelso loco positus.* Iam sequens comma 8. enim hoc ita connectit: et hic Deus summus merito summa religione coli debebat: ast secus fieri, experientia proh! loquitur quotidiana.

Et quis neget, hanc explicationem cum praecipis diuinis et uniuersa morum sanctiorum doctrina conspirare? Vtraque certe propositio, ex qua hoc oraculum constat, passim in litteris sacris repetitur. Quid enim aliud his verbis Salomon dixit, quam quod Dauides profitetur, inquit: *Dum te, o DEVS, habeo, omnia alia in caelo et in terra parui facio.* etc. *Pf LXXIII, 25. 26.* et quod Ieremias pronuntiat: *Deus est portio mea.* *Thren. III, 24.* Eodem modo altera huius oraculi sententia est comparata. Quemadmodum enim Salomon conqueritur, peruersos homines diabolo promptius seruire quam Deo: ita DEVS alibi ipse: *extendo, inquit, manus meas ad populum refractarium.* *Ies. LXXV, 2.* et Sospiator generis humani: *homines, inquit, tenebras magis quam lucem diligunt.* *Io. III, 19.*

Haec, nulla praetermissa occasione, tanto maiori contentione nostrae disciplinae alumnis idemidem commendamus, quanto facilius cerussata boni ficti facie sese decipi iuuenes patiuntur. Et habet profecto officina huius urbis litteraria, de quo sibi suisque ciuibus merito gratuletur. Ex beneficiis enim, quarum larga seges proposita est adolescentibus, diligentiae et morum laude commendandis, bonitas DEI immortalis mirifice cognoscitur. Horum in numero iure meri-

toque

c) *Introduct. in libr. Bibl. V. T. poet. P. II. p. 215.*

d) *Cohel, XII, 13.*

toque illud veneramus, quod ex IAENICHIANA liberalitate in conuictores scholasticos promanauit. Cuius exoptatum fructum quam diu perlentiscimus, tam diu diuinæ bonitatis abundantiam recolimus, qua pauperes alumni sustentantur, et ad spem publicam per studia elegantiora, virorum munificorum ope et gratia adiuti, prouehuntur. Quoties igitur conuictores nostri mensæ illi liberali, quæ et AMPLISSIMI SENATVS et aliorum PATRONORVM sumptibus instruitur, adcumbunt, toties ad contemplandam hanc diuini Numinis bonitatem, sese mutuo excitant, concinentes; *gustate, et videte, quam bonus sit Dominus!*

Vbi igitur hac hebdomade dies nomini benefactoris, Bartholomæi, sacra, memoria anniuersaria celebranda recurrit, quatuor iuuenes primi ordinis pietatis obsequium Summo Bono publice præstare decreuerunt. Et quia filii poëti sunt studiosissimi, sermone numeris victo institutum suum exsequuntur. Ita vero labores suos disperserunt, ut tam negando quam adfirmando illud sint inuestigaturi. Ac primo quidem loco in publicum prodibit iuuenis et diligentia et moribus commendatissimus,

IO. ADAM HENNICKE,

Sangerhus. Thur.

carmine Sapphico Lat. *voluptatem* perperam pro Summo Bono haberi, demonstraturus. Succedet filius Patris maxime Reuerendi, Theologi ac Philologi celeberrimi haud degener,

AVG. BENEDICT. WILISCH,

Freiberg.

qui versibus heroicis Lat. in *honoribus* Summum Bonum haudquaquam positum esse, ostendet. Hunc excipiet, qui industriam ad bonam mentem adfert laudabilem

IO. CHRISTIAN GRETZSCHEL,

Dresd.

oda Germanica errorem eorum refutaturus, qui *diuitias* pro Summo Bono amplectuntur. Tandem adolescens ingenuitate vultus egregias animi dotes præferens,

IO. LEONHARD HEVBNER,

Schwarzenberg. Misa.

poëmate elegiaco Lat. DEVM, tamquam verum illud ac Summum Bonum decantabit, religiose colendum et amore perpetuo complectendum.

Quamuis igitur præuideam, eam huius argumenti esse dignitatem, ut auditores per se beneuolos sibi conciliet et frequentes: tanto tamen maiori studio, Vos, MVSARVM FAVTORES, ad orationes cras, bono cum DEO, hora ante meridiem IX. habendas, inuito, quanto maiori præsentia Vestra nobis est ornamento, nostris autem incitamento. P. P. *Freibergae.* a. d.

XXVIII, Aug. A. R. C. MDCCXXXIX,

Yb 627

(1/80)

ULB Halle
002 103 591 3



TAJOL







21

יתרון בפל

i. e.

DE

SVMMO BONO

EX SENTENTIA SALOMONIS

Cohel, V. 8.

PERICVLVM EXEGETICVM

QVO AD

ACTVM POETICVM

CERTO BENEFICIO

GYMNASII FREIBERGENSIS

SACRVM

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.

FREIBERGAE,

Litteris CHRISTOPH. MATTHAEL.

XXI.